

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

DISSERTATIO EPISTOLICA

QVA

CONTESTATIO DEI JES. V. 4.

DE VINEA SVA LIBERALITER QUIDEM
CVLTA SED TAMEN VALDE STERILI
ILLVSTRATVR

ET

AD VSVM THEOLOGICVM IN PROBANDA THESI
DOGMATICA DE GRATIA CONVERTENTE
RESISTIBILI TRANSFERTVR

AD

VIRVM ADMODVM REVERENDVM
AMPLISSIMVM ET PRAECLARISSIMVM
DOMINVM

GEORGIVM HERMANNVM
RICHERTZ,

PASTOREM IACOBAEVM OPTIME MERITVM

CVM

D. XXII. FEBR. A. MDCCLIX.

REVERENDI MINISTERII LVBECENSIS
SENIOR

DESIGNATVS ESSET,
GRATVLANDI CAVSSA EXARATA

IOACH. HENR. OSTERMEIER

V. D. M. ECCLESIAE TRAVEMVNDANAE.

LVBECAE.

TYPIS IO. NICOL. GREENII, MAGN. SENAT. TYPOGR.

DISSSERTATIO EPISTOLICA

OVII

CONSTATIO DEL. V. A.

DE VINEA SVA LIBERALITR QUIDEM
CVLTA SED TAMEN VALDE STRIBIT

ILLVSTRATV

AD VNI THEOLOGIV IN PROBANDA THEO
DOGMATICA DE QVATA CONVERTE

NO STVDA PRVNTIV

AD

VIRVM ABNOVA REVERENDVM
AMPLISSVM ET PRACERISSVM

DOMINVM

GEORGIVM HERMANNVM

JACOBERTV

PASTOREM JACOBVM OPTIME MERITVM

CVM

D. XII. FEB. A. MDCCCLX.

REVERENDI MINISTERII ALBERTENSIS

SENIOR

DESIGNVVS ESSET

GRATVANDI CAVSSA EXARATA

A

IOACH. HENR. OS. ERMEIER

V. D. M. ECCLESIAE TRAVMUND. NAH.

LVECOGAE.

TYPE IO. NICOL. GREENH. MAGN. SENAT. TYPOG.





Saepe numero, VIR MAXIME REVERENDE, & insigni quidem voluptate mens mea illius temporis spatium respicit, quo admodum juvenes in in-clyta Musarum sede Lubecensi operam nostram ad studia elegantiorum litterarum contulimus. Suspexi tum temporis praeclaras capacissimi ingenii Tui dotes, quibus indefessa diligentia, summa morum honestas ac suavitas, pietas, candor, modestia, ceteraeque virtutes sociatae erant, nec in minima felicitatis meae parte collocavi, quod TVA familiaritate uti mihi contigerit. Gratisimam hanc amicitiam, quam conjunctio animorum & similitudo studiorum contraxit, egregie conservasti in Academia Varniaca, quo me ex Alma Leucorea redux Anno MDCCXXXVI. contuleram, & in hunc usque diem luculentis documentis confirmasti. Quidni ergo, AMICE SYAVISSIME, secundo rerum TVARVM cursu afficerer? Quidni magnitudo & vis amoris mei efficeret, ut impense TIBI gratuler SENIORIS provinciam, a Venerando Ordine sacro Lubecensi TIBI nuper demandatam? Quidni publicum nunc observantiae meae, qua TE colo, extaret testimonium? Hoc jure quodam TVO a me repetere poteris, Amice candidissime, qui huptiis meis doctissimam TVAM Commentationem ad Proverb. XXXI. 29. dicasti.

Ne vero inanis ad TE veniat amici epistola, meditationes meas ad eximium quendam locum e vaticiniis Jesaiae desumptum TE cum communicabo, quas vt serena fronte suscipias, etiam atque etiam rogo.

Illustre nec vna controversia nobilitatum oraculum est, quod Jesh. V. 4. legitur, & ad elegantissimam illam Parabolam pertinet, qua Propheta a Spiritu sancto actus sub imagine vineae, optime quidem a vinitore cultae, sed tamen admodum sterilis, & propter ea diruendae ac desolandae, Ecclesiam Judaicam in crimine turpis abusus praestantissimorum beneficiorum teneri affirmat, quae Deus larga manu ad promovendam ejus salutem in eam contulerat, eidemque gravissimas poenas denunciat. Effatum hoc divinum proxime ad illam Parabolae partem spectat, qua Deus sententiam de Ecclesia refractaria Judaeorum laturus, vt causae suae justitia eo magis emergeret, ad incolas Hierosolymae & viros Judae, velut judicii arbitros sua conscientia semet ipsos praedamnatos, provocat. Nimirum summum Numen, causae suae manifestae & expeditissimae, fidens, hos ipsos, qui pars magna palmitum degenerum erant, judices his verbis v. 3. poscit: *Nunc autem habitatores Jerusalemorum, immo Viri Judaeae singuli, judicate quaeeso inter me & vineam meam*, eosdemque v. 4. contestatur: *מה לעשות עדי לברמי ולא עשיתי בו פרוע* Quae verba FRANC. JUVNIUS perspicue & eleganter reddit: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea? Quamobrem cum expectassem, ut ederet uvas, edidit labruscas?* אֲנִי הָיִיתִי מְחַנְנֵה אֶת הַיַּיִן מִן הַיַּיִן וְעַתָּה אֵיךְ הָיִיתָ לַבְּרִמָּה

Personā, quam loquentem facit *ἑνδεκατος* Propheta, est דַּוִּד DILECTVS, in cujus honorem se carmen hoc de vinea modulatum esse; quemque Dominum vineae esse v. 1. luculenter testatus erat. DILECTVS, cujus esse vineam Propheta dixerat, verus summusque Deus est. Nam ille, cujus est vinea v. 7. *Jehova Dominus Exercituum* vocatur, cui Angeli, homines & universa natura rerum subiecta est. Speciatim vero secundam sanctissimae Trinitatis personam voce דַּוִּד DILECTI significari atque

atque adeo Filium Dei a Propheta in oraculo nostro loquentem introduci, pro certo habemus. Nomen enim ירד DILECTI ad illam divinitatis personam rectissime refertur, quam, teste Scriptura sacra, ineffabili amore Deus prosequitur, quaeque hominibus merito in deliciis est. Filius vero Dei in prophetica Mosis benedictione Deut. XXXIII. 12. ירד ירוהו DILECTVS DEI diferte appellatur *a*), qui inter humeros Benjaminis habitationem fixisse dicitur, quia in portione non modo tribus Judae sed & Benjaminis Hierosolyma, magnificentissimo templo, gloriae Jehovahae domicilio, insignis sita erat *b*). Idem Filius vnigenitus Jer. XI. 15. DILECTI nomine venit, vbi Propheta Patrem loquentem & his verbis Judaeos templo superbientes increpantem ficit: *Quid est DILECTO MEO domi meae? faciente ista gravissimum suum scelus, isque ipse est, quem Pater diligit, & cui omnia in manum dedit.* Joh. III. 35. Amore Filii Dei delectantur homines. Quamobrem Hagg. II. 7. *Desiderium gentium* appellatur. Filius Dei est sponsus Ecclesiae, cujus se amicum Johannes Baptista dicit Joh. III. 29. spes & amor fidelium omnium temporum, qui in cantico Salomoneo saepius voce ירד, quae & origine & significatione nomini ירד DILECTO respondet, insignitur. Accedit, quod beneficia, quae in Parabola a DILECTO in Israelitas collata dicuntur Jes. LXIII. 9 Angelo increato, Angelo Faciei adscribantur, qui rebus populi Israelis ceu peculii sui praefectus ejus Princeps, Rector & moderator voce Patris designatus est Exod. XXIII. 20. *c*).

Continet oraculum accusationem ipsam, de qua judicandum erat, contestatione interrogatoria constantem, cujus parte priore Dominus vineae se officio suo in colenda vinea nulla ex parte defuisse, posteriore operam suam male tamen collocatam esse testatur.

A 3

Prius

a) Conf. IOH. COCCEI considerationes ad ultima Mosis §. 1649. Tom. I. opp. p. 232.

b) Vid. RELANDI Palaestina Lib. III. p. 839.

c) Vid. IO. IAC. CRAMERI Theolog. Israelis P. II. p. 54 & 83 sqq.



Prius membrum his verbis constat: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea?* Considerandum hic primo loco est *subiectum*, quod verbo *לכרמי* vineae meae indicatur. Hac vero vinea posteros Iacobi intelligi v. 7. Propheta docet. *Nam,* inquit, *vinea Iehovae Exercituum domus Israelis & viri Iebudae sunt plantae deliciarum eius.* Extra orbitas igitur ABARBANEL vagatur, existimans, vineam in parabola tantum decem tribus significare, quia incolae Hierosolymae & viri Iudae constituantur iudices a). Minime enim sibi adversatur, quod Deus causam hanc illis ipsis diiudicandam proponat, quorum improbitas & ingratus animus hac parabola notabatur. Iudaeorum duntaxat haecenus iudicium requirebatur, ut culpam suam poenarumque sibi infligendarum iustitiam agnoscerent. Similiter Nathan Propheta parabola proposita Davidem eo deduxit, ut adversus se ipsum sententiam ferret 2. Sam. XII. Praeterea tota oratio prophetica Cap. V. comprehensa nos docet, proxime potius respici ad Iudaeos regno Israelitico contradistinctos, apud quos Iesaias munus Prophetiae administravit, & in quorum ditone templum extabat, cuius in figurata oratione commatis secundi mentio iniicitur e). Illud quoque observatione nostra minime indignum est, Prophetam simbolo vineae non modo suae aetatis homines & Iudaeos tempore imminentis exilii Babylonici viventes, sed totam etiam catervam foedifragorum Iudaeorum complecti, apud quos ipse Salvator & Apostoli doctrinae coelestis ministerio perfuncti sunt. Equidem negaverim minime denunciatione malorum vineae parabolicae ex sententia fori coelestis decretorum commatibus 5 & 6. ex parte respici ad iudicia divina tum in Regnum decem tribuum per Assyrios, tum in Iudaeos per Babylonios exsequenda; vel maxime tamen eadem ultimam illam ruinam indicari, qua viribus Romanorum Iudaei opprimendi erant, certum mihi est ac exploratum f). Etenim inter calamitates Iudaeis

a) Vid. ABARBANELIS *אחרונים פרוש אל נביאים* ad Cap. V. Ies.

e) Conf. VITRINGA ad verba prophetica: *et lacum in ea excidit* Tomi I. Comment. in Ies. p. 115.

f) Vid. VITRINGA l. c. p. 109.

daei praedictas eiusmodi generis mala v. 6. recensentur, quibus Iudaei vastata per Babylonios Hierosolyma & regione conflictati non sunt, quae sunt neglectus culturae spiritualis, quae verbis non putabitur neque passimabitur innuitur, & poena illa gravissima, quae carentes puro verbi divini praeconio inopes futuri erunt a fide Doctoribus ac Prophetis, & donis gratiae salutaris destituti, his verbis significata: *Et nubibus interdum, ne demittam in eam pluviam.* Vnde iam TERTULLIANVS ^g) & HIERONYMVS ^h), quibus VITRINGA CYRILLVM addit, recte coniecerunt, digitum hic intendi ad iudicium divinum per Romanos administratum. Idem ex collatione v. 30. liquet, ubi Propheta: *Et intuebitur, inquit, (Populus) terram, & ecce tenebrae, angustiae, & (quod ad) lucem, caligine obducetur כְּעָרִפְתָּיִם in coelis eius i).* Quibus verbis status plane collapsus populi Iudaici, quem omnis spes rem restituendi reliquerat, describitur. Quicumque lernae huic malorum superfuturi erant, indignatione Numinais in ipsos effusa percussis, deiectioni animo terram intueri dicuntur, nec tamen in terris quicquam solatii invenient, sed tenebras scilicet omnis generis calamitates, immo & angustiam, angorem videlicet animi sibi male conscii, ut nescii, quo se verterent, nullum malorum exitum visuri essent. Emphatica denique verba: *Et (quod ad) lucem caligine obducetur in coelis ejus,* talem Iudaeorum statum depingunt, quo & gratiae divinae allevamento egebunt, & a praesidio hominum deserti jacebunt. Quapropter nulla nos dubitatio teneat, quin hoc vaticinio illa Iudaeorum conditio praedicatur, quae post deletam a TITO VESPASIANO Hierosolymam ac Rempublicam eversum, & post ultimum eorum conatum regnum recuperandi ab HADRIANO Imperatore repressum ^k), DEO hominibusque invisibile sine lare palantur, & in hunc usque diem severitatis divinae nota iniusti oculis nostris observantur.

Prae-

^g) Vid. TERTULL. Liber adversus Iudaeos Tom. I. Opp. p. 231.

^h) Comment. in Jes. Tom. V. Opp. p. m. 21.

ⁱ) Rationes, cur vocem כְּעָרִפְתָּיִם coelos vertamus vid. apud VITRINGAM l. c. p. 335. add. IOH. COCCCEO ad h. l. Tom. II. Opp. p. 853 sq.

^k) Vid. DIO CASSIUS Hist. Rom. Libr. LXIX. p. m. 798. add. BASNAGE dans l' Histoire des Juifs Libr. VII. Cap. XII. §. VI.



מה לעשות עוד ולא : *Praedicatum hujus argumenti est :* *עשיתי בו* *Quid faciendum amplius quod non fecerim in ea?* Requirit his verbis Deus iudicium incolarum Hierosolymae & Virorum Judae de cultura vineae suae v. 2 memorata, eosque contestatur, quod nihil plane in ipsius cultura vineae suae liberaliter adhibita desiderari possit, quominus gratos fructus protulerit. Est enim haec interrogatio vehementissime negans, ita resolvenda: *Certe nihil fieri debuit, quod non fecerim 1)*, cujus sensum ABENESRA eleganter expressit in h. l. *מה נשאר משוב* *מה לעשות כרם שלא עשיתי* *Quid restabat boni praestandum vineae, quod non fecerim es?* Hac igitur contestatione Deus declarat nullum a se medium populo Israelis defuisse, quod ex ipsius sententia ad conversionem, vitam probatam, adeoque salutem eorum idoneum erat, quod ex parte commatis secunda, cujus explicationem non anticipabimus clarissime patet. Coacta proinde est interpretatio FRANC. GOMARI *m)*; quae hunc verbis divinis: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea?* sensum affingit: *Quam poenam deinceps populo immittam, quam haecenus non immisi?* Haec *παρεργησία* GOMARI in gratiam receptae ab ipso & defensionae praepudicatae opinionis de gratia convertente irresistibili excogitata, quam ex hoc oraculo Jesaiano Armiriani validissime oppugnabant, nihil praesidii Matth. XXI. 40. 41. invenit (vnde eandem confirmare; nititur), ubi Christus, proposita alia Parabola de Vineae colonisque ingratis in vineae Dominum & crudelibus in Filium, quaerit: *Cum igitur advenit Dominus vineae, quid faciet agricolis illis?* & illi ipsi, quos sub schemate colonorum in Parabola arguebat, respondent: *Malos ipsos male perdet; & vineam suam elocabit aliis agricolis x.r.λ.* Quamvis enim facile commiserim Parabolam Christi de Vineae, quae Matth. Cap. XXI legitur, ad imitationem carminis Jesaiae de vinea compositam esse, ac scopi convenientiam agnoscam, quatenus utrobique Filio Dei propositum est, perversos Iudaeos ingrati

1) Vid. GLASSIUS Philol. S. L. V. Traç. II. Cap. V. p. 2028.

m) Vid. GOMARI Explicatio selectorum locorum ex Evang. Matthaei Opp. p. 60. add. Collat. Hagienfi ad Artic. III & IV. p. 237.

ingrati animi & summae improbitatis reos agere, iisdemque severum iudicium & extremam calamitatem a Romanis ipsis inferendam praedicere: longissime tamen a linea GOMARVM aberrare existimo, opinantem, verbis Christi: *Quid faciet agricolis illis?* & verbis apud Iesaiam: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea?* eandem sententiam significari. In illo enim loco variorum scelerum recensio praeceserat, quibus perditum coloni se obstrinxerant, e quibus perspicue colligitur, illic de poena quaeri, quam promeriti erant. At in loco Iesaias quaestio sequitur enumerationem eorum, quae ad culturam vineae pertinebant, quare ad benignitatis divinae documenta in Iudaeos edita referenda est.

Pergimus ad secundam commatis partem, in qua operam suam male collocatam esse, Dominus vineae profitetur, atque ita Iudaeos ingrati animi & turpissimae improbitatis convincit: מרוע קויתי לעשות ענבים ויעש כאשוי. *Quamobrem, cum expectassem, ut ederet uvas, edidit labruscas?* VATABLVS haec verba reddit: *Cur expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* VITRINGA *Quare expectavi facturam esse uvas, & fecit labruscas?* Quae quidem satis recte se habent, si litteram hebraeam spectes; praeferenda tamen est JVNII interpretatio, quia proprietatem styli sacri eleganter expresit, quam etiam LV-THERVS noster minime neglexit, haec verba in vernaculam linguam ita vertens: *Warum hat er denn Heerlinge gebracht, da ich wartete, dass er Trauben brächte?* cui Anglicanam interpretationem jungimus: *wherefore when I looked that it should bring forth grapes, brought it forth wilde grapes?* Adverbia enim interrogandi *Cur, Quare, &c.* saepe non immediate junguntur illi propositioni, de qua interrogant, sed alii, quae illi conjuncta est, eamque praecedit. Quam regulam Flacius tradidit, & exemplis comprobavit n), quae huic quoque oraculo Iesaias applicanda est. Non enim quaeritur, quare expectaverit Dominus, sed quare vinea labruscas seu uvas foetidas ediderit, cum Deus uvas praestantes expectaret.

B

Voce

n) Part. II. Clavis SSacrae Tractat. IV. p. 368.

Voce ענבים, quae uvas bonae notae significat Gen. XL. 16. Deut. XXXII. 14., notari serium eorum exercitium, quaecunque ad verum Dei cultum & pietatem Conuersis & Regentis propriam spectant, explicatio Parabolae nos docet v. 7. vbi Deus dicitur expectasse משפט *judicium*, & צדקה *justitiam*, hoc est omnia, quae conuersos decent. Pervulgatum enim est, verae religionis summam, seu agnitionem veritatis secundum pietatem, in Scriptura sacra his vocibus indicari. Sic Propheta noster Cap. LVI. 1. in exhortatione ad ecclesiam de custodienda vera religione & exercendis virtutibus: *Servate*, inquit, *judicium*, & *exercete justitiam*, vbi per *judicium* doctrina verae religionis, phrasi vero *exercere justitiam* studium sanctitatis intelligitur, adeoque vita Regentis digna, in qua glorificatio Numinis ac sincerus in Deum & Proximum amor enitet. Conferantur etiam sequentia loca Genes. XVIII. 19. Ps. CVI. 3. Ps. CXIX. 12. Prov. XXI. 3. Mich. VI. 8. Luc. XI. 42. Deus igitur a Judaeis expectavit studium verae & a corruptelis purae religionis, salutarem cognitionem Messiae ejusque beneficiorum ac doctrinae, quae similiter Jef. XLII. 1. 3. 4. משפט h. e. *juris* nomine venit, expectavit fructus respicientiae convenientes, exercitium pietatis, & serium vitae, morum ac actionum ad praescriptum ejus institutionem.

At vero vinea Judaica ex parte saltem majori liberalissimae curae votisque Domini sui minime respondebat, quippe edidit רבשנים. Hanc vocem *dis λεγομένην*, quam Interpretes ALEXANDRINI & THEODOTIO minus recte ἀνάδρας spinas vertunt, HIERONYMVS aliique *labruscas* reddunt. Est *labrusca*, teste Servio ad illa Maronis:

Aspice ut antrum

*Silvestris raris sparsis labrusca racemis;
vitis agrestis, quae quia in terrae marginibus nascitur, labrusca dicta est a labris & extremitatibus terrae d). Cum vero labrusca in lingua latina*

d) Vid. Opera VIRGILII cum Comment. DONATI & SERVI ad Eclog. V. v. 6. 7. p. m. 20, & ISIDORI HISPALENSIS Orig. Libr. XVII. Opp. p. 229.

ina, germen non fructum, proprie significet, WOLFG. MVSCV-
LVS p) & CORNEL. a LAPIDE q) arbitrantur, germen pro fructibus
per Metonymiam poni. Quo tamen acumine hic facile superfede-
mus, cum extra controversiam sit, כַּנְשִׁים non vites, sed fructus
indicare, quia יָוֵץ עֲנָבִים uvis opponuntur. SYMMACHVS hanc
vocem melius ἀτελής fructus imperfectos, sed AQVILA aptius σα-
πείας fructus putridos reddidit r). Descendit vox כַּנְשִׁים a
verbo כָּנַשׁ putruit, foetuit, quam commode SALOMON BEN
MELECH παραφράσει כַּנְשִׁים עֲנָבִים uvas foetidas s).
Intelliguntur igitur uvae ante maturitatem putrescentes, immo
pesumae notae, quas Moses eandem rem spectans, in Cantico
suo prophetico, fata gentis Israël enarrante, Deut. XXXII. 22.
uvas venenatas, & botros felleos appellat. Figurata hac dictione
כַּנְשִׁים illa omnia significantur, quae יָוֵץ עֲנָבִים uvis hoc est
iudicio & iustitiae, ut modo diximus, opposita sunt, pravae sci-
licet de rebus divinis sententiae, corruptelae religionis, errores
nocivi circa ordinem salutis & viam consequendi iustitiam co-
ram Deo t), corrupti affectus, vitia & flagitia varii generis, quo-
rum omnia apud perverfos Judaeos plena erant, a Propheta
nostro v. 7 sqq. ex parte recensita.

Paucis denique dispiciendum nobis est, quo sensu Deus
expectasse uvas seu actiones Conversis dignas, & expectatione
sua a vinea parabolica frustratus esse dicatur, Pertinet phrasis
expectationis ad Deum translata ad illas metaphoras in Scri-
ptura sacra obvias, quibus ea, quae homini proprie compe-
tunt, propter quandam similitudinem de Deo efferuntur, quae
propterea in hunc modum explicandae sunt, qui infinitis per-
fectionibus divinis in aliis locis proprio sermone indicatis con-
venit,

B 2

p) In h. l. p. 123.

q) In h. l. p. 86.

r) Vid. Fragmenta Vett. Interppr. Graecorum a DRVSIO collecta p. 294.

s) Vid. in Michlal Jophi ad h. l.

t) Vid. FLACIVS de velamine Moysi l. c. p. 625. & HERMANNI WIT-
SII Melet. Leidens. Exercit. XXI. de Theologia Judaeorum in negotio
Iustificationis p. 548 sqq.



venit. Quoniam vero metaphora a perito & sapiente vitatore desumpta est, qui uberem vineae suae proventum expectare dicitur, cum circumspicit & adhibitis idoneis, immo quantum ad se attinet, sufficientibus mediis fertilitati vineae inservientibus, hunc proventum, quem probabilem judicat, desiderat: hujus generis expectatio est desiderium boni futuri, cujus existentia ex idoneorum mediolorum applicatione probabilis habetur. Complectitur igitur expectatio a) absolutam rei expectatae possibilitatem, cum nemo sapiens expectet, quod in se contradictionem involvit; b) voluntatem expectantis efficacem seu seriam intentionem, qua rem expectatam aptis & in se sufficientibus mediis obtinere studet, c) probabilem rem expectatam habendi persuasionem & d) ejus desiderium. Propter perfectissimum Dei intellectum, qui omniaabilia sibi distincte & adaequate repraesentat, cui propterea nullus eventus dubius est, omnes actiones hominum perfectissimae sunt. Proverb. V. 21. probabilis persuasio de re quadam futura, quae semper cum ignorantia ejus, quod futurum est, conjuncta est, divinae expectationi non convenit u); similiter quoque affectus desiderii Spiritui finito conveniens, qui est taedium ex mora bonum speratum obtinendi subortum, ab expectatione divina removendus est. Omnes enim affectus quae tales confusam sensuum & imaginationis repraesentationem sibi praestruunt, quae in intellectum Numinis infinite perfectum non cadit. Quicumque igitur affectus Deo in Scriptura sacra tribuuntur, nihil aliud inferunt, nisi inclinationem ad bona pro gradu bonitatis & reclamationem a malis pro gradu malitiae, prout eam summa sapientia, non confusa sensuum & imaginationis repraesentatio, ponderat x). Ceterum duo priora ad expectationem pertinentia, videlicet absoluta rei expectatae possibilitas & efficax voluntas seu seria intentio, ab expectatione divina

u) Contra Socinianos futura contingentia a Deo praevideri negantes conf. QUENSTED. Systema Part. I. Cap. XII. p. 538. SCHERTZERI Colleg. Anti-Socin. Disp. V. pag. 55 sq. add. REVSCHII System, Metaphys. § 901.

divina minime absunt. Maxime certe apertum est, Deum sibi expectationem fructuum verae conversionis tribuentem, indicare, se serio voluisse Judaeorum conversionem habitumque legitimarum actionum ex ea emanantem, & media efficiendae conversioni idonea adhibuisse. Quod nisi factum fuisset, nulla erat ratio, cur apud Judaeos in praesenti corruptionis humanae statu consideratos conversio ejusque fructus existerent. Quicumque ergo confitentur, vires ad conversionem requisitas Judaeis defuisse, nec Deum iis media praebuisse, quibus hisce viribus donari potuissent, nunquam declarabunt, quo sensu expectatio fructuum Deo adscribatur. Omni quidem dubio caret, hac divina conversionis Judaeorum expectatione patientiam & longanimitatem summi Numinis simul indicari, qua Judaeos gratiae mediis pertinaciter oblectantes tulit, quae ex Parabola Salvatoris de fico in vinea plantata & fructibus destituta Luc. XIII. 6 - 9. extante illustrari possunt. Probe tamen observandum est, hanc longanimitatem Dei non solum dilationem poenae significare, nec a divina intentione conversionis Judaeorum sejungendam esse, quia Deus fructus expectasse dicitur. Patientia itaque Deus in refractarios Judaeos usus est, ut eosdem ad resipiscenciam, quam justis mediis intendit, manu velut adduceret Rom. II. 4. Facili quoque negotio perspicimus,posito intellectu Dei absolute summo frustrationem expectationis de Deo non ex defectu praeviae notitiae praedicari; sed per illam intelligi turpissimum abusum eximii studii, quo Deus Judaeos ingratos complexus est.

Absoluta jam nunc oraculi divini expositione reliquum est, ut illud, quantum per angustos limites licet, quibus scripturam nostram definivimus, ad usum theologicum transferamus. Pertinet nimirum dictum nostrum ad classica Scripturae sacrae testimonia, quibus probatur, Deum in opere conversionis cum hominibus non agere secundum potentiam absolutam, cui nemo resistere potest, sed ordinatam, hoc est, & certo ordini a Deo instituto ac ab homine observanda adstrictam, ad quem actiones



paedagogicae referendae sunt y), quibus efficiendis facultates hominis naturales sufficiunt, & ad conditionem hominum moralem respectum habentem: atque adeo hanc gratiosam potentiam supernaturalem, quam Deus & in specie Spiritus sanctus in convertendis hominibus per verbum adhibet Ephes. I. 19, quibus in statu corruptionis ne levisima quidem vis in spiritualibus reliqua est 1 Cor. II. 14. Ioh. XV. 5. neutiquam ineluctabili & insuperabili modo exerceri. Quapropter haec contestatio divina egregie inservit demonstrationi Theosaeologiae, quam contra Reformatos placitis Synodi Dordracenae inhaerentes aliosque z) defen-

- z) Actiones paedagogicae illae vocantur, quae tendunt ad usum organorum gratiae. Quales e. g. sunt accessus ad locum, ubi verbum Dei docetur, ejusdemque auscultatio, lectio, attentio & externa quaedam meditatio. Vid. Declarat. F. C. p. 671. & AEGID. HVNNIVM L. L. CC. de libero arbitrio Tom. I. Opp. p. 481 sqq.
- z) Vid. Acta Synod. Dordrac. Sess. XCIX, ubi PAREVS in Judicio de V. Articulis Remonstrantium p. 314. Ed. Hanov.: *Deus*, inquit, *eos, quos efficaciter convertere intendit, sicut irresistibiliter illuminat, irresistibiliter non solum potentia sed & actu credendi donat Phil. I. 29. Cap. II. 13. Proinde efficacia motionis suae non solum resistunt, sed & resistibilitatem in eis tollit.* Hassiaci p. 699, sententiam de modo operationis gratiae ita eloquuntur: *Non solum vero intellectus illuminatio & cordis sanctificatio, sed ipsa quoque voluntatis immutatio h. e. qualitatum seu facultatum & virium supernaturalium in voluntatem infuso ejusdemque ad Conversionem & fidem efficax flexio & inclinatio fit irresistibiliter.* Quibus addimus declarationem Nassovio-Wetteravicorum: *Gratia, qua Spiritus Sanctus in homine efficit fidem (sive id faciat ordinarie sive extraordinarie), haec, inquam, gratia est irresistibilis adeo quidem, ut postea interna renovationis gratia (quae non est fons moralis aut simplex & indifferens motio, sed efficax tractio & creatio nova) homo, qui convertitur, non velit resistere Spiritui Sancto, neque etiam possit, quatenus invidiata Dei virtute vitiositas ipsius superatur.* p. 710. Plura testimonia apud DANNHAWERVM Hodom. Spir. Calvin. Phantasm. IX. p. 1946. ad 1958. videri possunt. Varii tituli, quibus Gratia irresistibilis a defensoribus ornatur, collecti sunt ab HVLSEMANNO de Aux. Grat. Disp. I. p. 38. Praeter Reformatos Gratiae convertentis insuperabilitatem tradunt CORNEL. JANSENIUS ejusque affectae. Vid. JANSENIUS Tom. III. Augustini Libr. II. Cap. 24. 25. & alibi passim. Add. dexterrimi quondam Theologi Vitembergenfis G. FRID. SCHROE-

defendimus. *Posita etiam illa gratia, quae ex instituto divino debet, & intrinseca qualitate potest hominem convertere, positisque ex parte Dei omnibus ad Conversionem requisitis, hominem tamen voluntariae & malitiosa resistitiae operationes Gratiae ita impedire posse, ut Conversio ipsius locum non habeat.*

Id igitur agemus, ut praemisissis illis, quae ad sententiam Theos rectius percipiendam faciunt, ostendamus ejus veritatem ex praesenti oraculo divino invicte adstrui, & exceptiones Reformatorum, quibus argumentum pro resistibilitate gratiae convertentis ex hoc loco deductum infringere student, diluamus.

Primo loco exponendum est, quid Conversionis & Gratiae convertentis nomine intelligamus. Conversio in strictiore significatione, qua Justificationi, Inhabitationi, & Renovationi, quae intime cum ea cohaerent, contradistinguitur, sumta & active seu prout a Deo proficiscitur considerata est actio Spiritus Sancti per verbum, qua hominis omnis viribus spiritualibus destituti intellectum illuminat, ejusque voluntatem ad quaevis mala propendentem flectit, novisque viribus donat, adeoque fidem salvificam in ipso producit, ut Christi merito justificatus ceu nova creatura actionibus legitimis studere possit.

Conversio peccatoris non fit in instanti nec vno momento, sed processu quodam & ordine gratiosorum motuum absolvitur, & varia successiva in convertendo Spiritus Sanctus operatur, quod Christus Marc. IV. 26. 27. 28. in Parabola ex ipsius seminis conditione & operatione successiva significavit, ac ex Theologia Dogmatica hic assumimus a). Gratiae igitur convertentis nomine

SCHROEERI, Praeceptoris mei fidelissimi, Disputatio, qua QUESNELLII sententiae de Gratia Dei examinantur. De Scholasticorum aliorumque Theologorum Pontificiorum Hypothesibus, eandem sententiam introducentibus vid. DORSCHET Pentadecad. Dissert. IX. §. 25 sqq. p. 312 sqq. & HVLSEMANNVM l. c. Disput. III. Quaest. VII. p. 302 sqq. a) Vid. JOH. BENED. CARPZOVII Sen. Systema Theol. Part. III. Artic. XIX. p. 1067. JOH. MVSÆI Tractat. minor de Conversione Disp. V. §. XXX sqq. & Ceberr. nuper Theologi nunc inter coelites triumphantis SIG. JAC. BAVMGARTEN Disput. de Conversione non instantanea §. XXX. p. 17 sqq.

ne intelligimus omnes actus Spiritus Sancti ad Conversionem tendentes; cujus generis cum plures observentur, varii quoque gradus Gratiae convertentis dantur. Quamvis autem Gratiae convertentis gradus nunc ad majorem nunc ad minorem numerum restringi possint, & in determinando eorum numero Theologi in re ipsa consentientes variant, quae pluribus excutere ab instituto nostro alienum est: cum accuratissimo tamen Theologo IOH. FECHTIO ^{b)} aliisque trium Conversionis momentorum, *initii, progressus & consummationis* rationem ducentes, hanc Gratiam in tres gradus dividimus, quorum primum *Gratiam praevenientem*, secundum *praeeparantem*, tertium *operantem* appellamus. *Gratia praeveniens*, qua Conversionis opus inchoatur, quae etiam *incipiens, praecurrens, trahens, excitans, pulsans* Ephes. V. 14. Apoc. III. 20. vocatur, est illa operatio Spiritus Sancti per verbum praedicatum vel lectum, qua primam sanctam cogitationem piumpque de vita mutanda desiderium menti peccatoris inspirat ^{c)}. Qui motus subito in homine oriuntur, & saepe quidem praeter intentionem emendationis superioris, immo aliquando eum invitum afficiunt, ut in hominis potestate non sit impedire, quominus oriantur. Hi quidem motus propterea recte dicuntur inevitabiles, immo & ratione ortus irrefragabiles vocari possunt. Cum vero postquam exorti sunt & impediri & excuti possint, hoc respectu minime irrefragabiles sunt. Quod exemplo Nazarethanorum cognoscitur, qui cum primum Christum praedicantem audissent, *testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus gratiae procedentibus ex ore ipsius*, paulo post vero ira repleti ejecerunt eum ex civitate Luc. IV. 22. 28. Sic Felix praeconio Pauli tremefactus sensit quidem motum Gratiae praevenientis, de salute cogitare coepit & Paulum aliquoties accessit, verum nimius bonorum apparentium & terrenorum amor has cogitationes suppressit Act. XXIV. 25. 26. Agrippas dicens:

Prope-

^{b)} Vid. ej. Tractat. de Ordine modoque Gratiae divinae Aphor. VIII sq.

^{c)} Vid. HVTTERI Praefecti, in F. C. Artic. II. p. 175 sqq. & IOH. MVSÆI Praefecti, in F. I. Artic. II. Thes. XXIV, p. 122 sqq.

*Propemodum persuades mihi, ut siam Christianus, sine dubio fenfit
pulsam Spiritus Sancti Act. XXVI. 28, quamvis vel praejudicia
judaica contra oeconomiam evangelicam, vel aliunde orta negli-
gentia hoc semen suffocaret.*

*Gratia praeparans, qua homo gratia praeventus ulterius mo-
vetur, & ad fidem immediate accipiendam disponitur, illa ope-
ratio Spiritus Sancti est, qua hominem notitia doctrinarum ad
fidem & salutem scitu necessariorum imbuit, eumque de earum
veritate convincit, adeoque assensum operatur, ac serium dolo-
rem de admissis peccatis, eorumque averfationem excitat.*

*Gratia operans, quae singulari emphasi ita dicitur, cum
omnis gratia aliquid operetur, est operatio Spiritus Sancti, qua
ipsum fidei actum & in Christum fiduciam, ut scilicet homo in
Christum credat, ejusque meritum vera fide amplectatur, pro-
ducit. Hic quidem Gratiae convertentis gradus cum Justifica-
tione, Inhabitatione & Renovatione individuo nexu copulatur,
& hoc existente homo simul ex statu peccati & irae in statum
gratiae & harmoniae cum Deo transfertur Coloss. I. 12. 13. 14.*

Notandus denique est status Quaestionis de Gratia conver-
tente resistibili in Thesi nostra affirmatae, qui ut eo promptius a
nobis intelligatur, explicandum est, quid resistentiae nomine no-
bis veniat. Est vero resistentia hoc loco omnis actio vel omisio,
qua opus Conversionis impediri potest, & Gratia convertens di-
citur resistibilis, quia operationes Spiritus Sancti ad Conversio-
nem pertinentes impediri possunt. Resistentia, quae Gratiae con-
vertenti opponitur, dupliciter accipi potest: est enim vel *incomple-
ta*, qua sub initium reluctatur quidem homo, sed ita tamen, ut
tandem a Gratia vincatur, quam largiuntur Reformati *d)*, vel
completa, qua opus Conversionis plane impeditur, & de hac
quidem in praesenti quaestione sermo est.

*a) Vid. RIVETT Disput. IX. de iusta & gratiosa DEI dispensatione circa
Salutem Theol. XIII. Tom. II. Opp. p. 1176. SPANHEMII Introduct.
in controversias p. 134. & Cl. STANFORDI Institut. Theol. Polem. Tom. I.
p. 1242. p. 372 sqq.*

Praeterea cum quaeritur: an Gratia convertens sit resistibilis? I) non quaeritur, an homo in ipso puncto Conversionis, quando jam nunc convertitur, & Spiritus Sanctus Conversionis opus absolvit, reluctari possit eo ipso momento, quominus convertatur. Cum enim ipse actus Conversionis adest, non potest simul non adesse, & cum homo Gratiae obsequitur, non potest simul eodem momento eidem non obsequi, quia *Idem, quando est, non potest simul non esse*, quod nemo nisi mentis inops negabit.

II) Non quaeritur, an primi Gratiae praevenientis motus ex verbo divino originem trahentes, quibus Spiritus Sanctus Conversionis opus inchoat, quoad ortum impediri possint.

Sed in eo Quaestionis cardo versatur, an homo posita Gratia Dei, qua ad sui Conversionem excitatur, & quae ad efficiendam ejus Conversionem apta est, vna cum intentione Dei de ipso convertendo, Gratiae divinae ita resistere ejusque operationes impedire possit, quominus convertatur, quod ipsum in Thesi affirmamus.

Afferimus in Thesi, illud, quo Conversio penitus impeditur, esse *maliciosam resistenciam*. Quoniam nimirum causa, quae obrem multi non convertantur, nequaquam in Deum derivanda est; quippe qui *vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, I. Tim. II. 4. & iurejurando confirmat, *se nolle mortem impij, sed ut convertatur & vivat* Ezech. XXXIII. 11; in homine gratiae divinae obicem ponente omne crimen haeret, quod Scriptura sacra Ezech. XII. 2. Matth. XI. 20. 21. Cap. XXIII. 37. Luc. VII. 30. Act. VII. 51. Cap. XIII. 46. aliisque quamplurimis locis luculenter testatur.

Haec vero *maliciosa resistencia*, quae sola conversionis negotium suffaminat, distinguenda est a *naturali resistencia* ex peccato originali seu corrupta & depravata naturae per omnes ejus facultates dispositione, quae in omnibus hominibus, aequalis est, proxime oriunda. Cum enim post lapsum omnes homines carnaliter geniti ita depravati sint, ut & amiserint facultatem vera so-

lidaeque felicitati infervientia bona vive cognoscendi ac ample-
 cendi, & a sensibus ac phantasia dependeant, horumque ju-
 dicia ut plurimum falsa, vera esse opinentur, in bona apparen-
 tia ferantur, a malis apparentibus vero abhorreant, quod ex
 Scriptura constat, quae diserte testatur, hominem irrogenitum
 ad ea, quae Spiritus sunt, cogitanda & expetenda ineptum esse,
 & spiritualia averfari 1. Cor. II. 14. Gen. VI. 5. Rom. VIII. 7:
 homo quoque Deo conversionem ejus aggredienti naturaliter
 repugnat & in contrarium tendit. Sed illa *naturalis repugnan-*
sia vincitur sub usu verbi per *gratiam praevenientem*, & per
 illam homini facultas non repugnandi sive *cor non obtinendū*
 Hebr. III. 7. 8. confertur. Quamvis igitur ex corruptela origi-
 naria, qua hominis facultati cognoscitivae & adpeditivae im-
 perfectiones in hac vita non penitus extirpandae adherent,
 accidat, ut in animo hominis jam per Gratiam praevenientem
 excitati & Conversionem ad Deum desiderantis praeter volun-
 tatem & liberam ejus destinationem suboriantur cogitationes &
 concupiscentiae pravae, cum e. g. sine praevia hominis delibe-
 ratione *exoriantur* in animo dubia contra oeconomiam gratiae,
 vel adeo viva existit cognitio bonorum malorumque apparen-
 tium, ut incitetur ad pravos motus: Deus tamen salutis huma-
 nae cupidissimus sufficientes hominī largitur vires, ut cavere
 possit, ne illis cogitationibus cum delectatione inhaereat, sed
 illas potius detestetur & sublatas cupiat, adeoque desiderio
 convictionis de veritate Regni Gratiae vivaeque cognitionis
 ejus bonorum teneatur. Quapropter: hi actus ex natura cor-
 rupta proxime fluentes Conversionis effectum non interver-
 tunt, sed ab operationibus Gratiae superantur, & hominem
 in illo statu relinquunt, quo Spiritus Sanctus per verbum in-
 tellectum ejus magis magisque illuminare & voluntatem ad
 credendum flectere potest.

Malitiosa resistentia est hominis jam per Gratiam praeventi
 contumacia nova, dum vires spirituales adeptus, & ad earum
 exercitium dispositus & excitatus, ut Gratiae insuper ad pro-
 ducendum actum spirituales concurrere paratae efficaciam ad-

mittat; tamen libertatis abusu carnis seu corruptelae origina-
 riae ductum sequitur, & non consentit in id, quod Spiritus
 Sanctus operationibus Gratiae intendit, nec probat, quae sit *bona*
voluntas Dei Rom. XII. 2, sed obedire detrectat e). Ejusmodi re-
 sistentia in homine existit, cum a) dubius ex cognitione natura-
 liter adquisita nec satis determinata contra oeconomiam Regni
 Gratiae ortis inhaeret, iisque delectatur: quomodo animus in-
 ducitur ad rejiciendam Regni gratiae Oeconomiam, atque ita
 operationes Gratiae ad convincendum hominem de veritate
 Oeconomiae Gratiae & salutis tendentes impediuntur. β) Cum
 homo nimis vivam cognitionem bonorum malorumque appa-
 rentium in animo ortam fovet, eique ita inhaeret, vt, licet
 ejus pravitatem perspiciat, amore tamen mundi rerumque
 mundanarum vnice capiatur, & bona spiritualia ei fordeant.
 Hinc evenit, vt viva bonorum Regni gratiae cognitio, quam
 Gratiae operationes efficere intendunt, impediuntur & obscu-
 rentur. Haec resistentia in homine se exerit a) in actibus ex-
 ternae paedagogiae & debito mediorum vsui oppositis *directe*,
 cum destinato consilio verbum Dei spernit, illudque ne audire
 quidem vel legere sustinet, eidemque contumaciter contradi-
 cit, aut doctrinam Evangelii hostiliter persequitur, quomodo
 repugnabant Judaei Actor. VII. 51 sqq. Cap. XIII. 45 sqq. Cap.
 XVII. 5. Cap. XVIII. 6, vel *indirecte*, cum salutis animae nul-
 lam rationem habens, ex supina incuria auditum verbi vel plane
 negligit, vel illud non cum attentione audit. Matth. XXII. 5.
 Luc. XIV. 18. β) In actibus deliberatis Gratiae in animo homi-
 nis operanti oppositis, cum consulto perverfis cogitationibus vel
 concupiscentiis ita indulget, vt repraesentationes bonorum coe-
 lestium motusque a Gratia excitati suffocentur. Cujus luculen-
 tum exemplum in juvene illo divite comparet, qui licet salutis
 animae admodum cupidus esset, tanto tamen bonorum terreno-
 rum amore ducebatur, vt, cum ex Salvatore audiret, vendenda
 &

e) Vid. H. HOEPPNERI, solidissimi quondam Lipsiensis Theologi, Dissert.
 VII. de Justit. Aphor. VI. §. 12. p. III. 394.

& pauperibus, danda esse bona sua, eorum possessionem salutem praeferret, & relicto Christo tristis abiret Matth. XIX. 21. 22. f)

Dicitur haec *resistentia* propterea *malitiosa*, quia non proxime nec necessario ex corruptela originaria sequitur, sed ex libertatis abusu & malitia hominis sponte contracta oritur, quamobrem etiam *voluntaria* & *libera* appellatur. Quicumque igitur *malitiose* resistunt, negotium suae Conversionis plane impediunt, & sua culpa non convertuntur, quamdiu ita repugnant.

Ratio vero, cur Deus *resistentiam malitosam* non tollat, hinc repetenda est, quia Gratia divina tantum supplet, quod deficit. Jam vero humanas vires non transcendit per usum libertatis a *resistentia malitiosa* in exercitio actuum paedagogicorum abstinere g). Deinde cum Deus ex lege infinitae Sapientiae semper rebus convenienter agat, in opere quoque Conversionis conditioni hominum morali seu libertati convenienter agit. Quapropter homini libertatem adeoque libertatis abusum relinquit, nec *malitosam resistentiam* tollit, qua vel salutis media destinato consilio contemnit, iisdemque se consulto subducit, vel Gratiam initium Conversionis jamjam incipientem expellit. Declarata proinde Theſi orthodoxa de Gratia convertente resistibili redeamus ad locum propheticum, quem modo exposuimus, & videamus, ejus veritatem ex illo evidenter adstrui. Quando enim Deus contestatur: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea? Quamobrem cum exspectassem, ut ederet uvas, edidit labruscas* & aperte docet, se nihil eorum praetermississe, nec quicquam amplius ex parte sua desiderari posse, quae ad id necessaria erant, ut Ecclesiae Israeliticae & Judaicae membra fide in Messiam conspicua essent, & sanctitati bonisque operibus conversis & regentis dignis studerent; quae voce *uvarum* intelligenda esse supra ostendit.

C 3

f) Vid. IOH. MYSAEI Tractat. de Conversione Disp. 1. §. LXXII.

g) Vid. DANNHAW. l. c. Phantasm IX. p. 878sq. BALTH. MEISNERI

Anthropol. S. Disp. XI. Quaest. III §. XLVIII. p. 28, & celeb. nuper

Academ. Salanae Theologi IO. PET. REYSCHII Annotat. in BALERI

Compend. Theol. p. 984.



ostendimus. Clarissime igitur indicat, se serio voluisse eorum Conversionem & omnino talem iisdem exhibuisse Gratiam, qua potuissent converti & opera Deo grata proferre: cum tamen quoad maximam partem hujus Ecclesiae membrorum nihil horum eveniret, sed potius **ΔΥΝΑ** *putidae vineae* h. e. omnis generis vitia & scelera provenerint, adeoque in impietate sua peristerint.

Quapropter evidenter ex hoc oraculo divino colligimus: *Si Judaei positis ex parte DEI omnibus ad eorum Conversionem requisitis tamen in impietate peristerint; sequitur Gratiam convertentem esse resistibilem*, adeoque hominem, posita etiam Gratia ad Conversionem ejus sufficiente, una cum seria Dei voluntate de ipso convertendo, malitiosa resistentia operationes Gratiae ita impedire posse, ut Conversio ipsius locum non habeat. Antecedens probatur ex verbis divinis: *Quid faciendum amplius vineae meae, quod non fecerim in ea?* et inde confirmatur, quia Deo in contestatione litis v. 3 & 4. contenta propositum est, eo Judaeos adigere, ut conscientiae judicio convicti fateantur, Deum nihil quicquam intermisisse, sed omnia fuisse ab eo adhibita, quae ad efficiendam eorum Conversionem & inde oriundum studium bonorum operum ex parte sua requirebantur, atque ita omni, quae in contrariam partem afferri poterat, exceptioni nervum incidere, quasi Gratia aliqua ratione defecerit, & aequitatem sententiae adversus eos v. 5. pronuntiandae demonstrare. Quamobrem **FRANC. JUNIVS** eleganter verborum divinatorum sententiam ad h. l. eloquitur: *Appello conscientiam vestram, vos ipsi cognoscite & bona fide statuite, per utrum steterit, quo minus fructum dignum conditione sua protulerit: si vel tantillum merito a me desiderabitur, ego praestabo; sed cum partibus meis junctus sim, quid superest, nisi ut vinea in culpa esse dicatur.*

Quamvis autem ex hoc effato divino insigni luce veritas dogmatica de Gratia convertente resistibili radiet, tantum tamen apud Reformatos Doctores, qui placita **CALVINI** de absoluto Decreto & hinc oriundam erroneam hypothesin de Gratia convertente irresistibili sequuntur, opinionum praejudicatarum
amor

amor valet, ut omni animi contentione hanc orationem plane & perspicue dictam in diversa flectere & argumentum ex illa deductum non una exceptione elidere studeant. Emdani opinantur, propterea minus recte ex hoc oraculo colligi, Gratiam convertentem esse resistibilem, quia oratione parabolica effertur, nec Parabolae dogmata faciant b).

Verum haec exceptio ex hac ratione nullius momenti est; quia tum demum ratio argumentandi ex Parabola minus firma est, si argumentum a scopo Parabolae alienum sit, vel ex Parabola non exposita deducatur, quorum neutrum hic obtinet. Quia argumentum scopo, quem Deus in Parabola intendit, maxime respondet, ut modo docuimus, & Propheta v. 7. Parabolae expositionem subjicit, unde minime dubium est, quid per vineam, & labruscas intelligendum sit.

¶ Commatibus Reformatorum exceptio est, Deum in hac Parabola tantum loqui de beneficiis gratiae externis, seu mediis conversionis moralibus. Sic MOLINAEVS 1): Deum, inquit, ibi agere tantum de externis mediis, hinc apparet, quod beneficia in Israellem collata comparat plantationi in loco uberi, repastinationi, circumpositioni sepis, exossationi, aedificationi torcularis: at de vegetatione arcana, de coeli clementia, de tempestiva pluvia, quae sunt virtutis arcanae, nulla mentio.

Sed ejus rei facilis est responsio. Quod scilicet ea commatibus primo & secundo tantum enumerentur, quae ad externam vineae culturam pertinent, ex lege Parabolae fit. Cum enim ea tantum in citatis commatibus recensenda essent, quae ad operam in vitorem convenientem spectant, nihil attinebat vegetationis, coeli clementiae, & tempestivae pluviae expresse mentionem fieri. Quia nemo, qui sapit, a vinea in regione extra Solis nubiumque vias consista fructus expectare potest. Praeterea comma sextum diserte testatur, pluviam vineae non defuisse, ubi

b) Vid. Acta Synod. Drozdac, p. 732.

1) Vid. ej. Anatomie Arminianismi Cap. XXXVII, p. 223.



ubi Deus deposita vinitoris persona minatur, *se nubibus imperaturum, ne in eam pluviam demittant.* Sed nec illis omnibus, quae coelitus accedunt, vt vinea frugifera sit, vineam caruisse hinc evidenter patet, quoniam omnis culpa non editarum uvarum in vineam confertur. Quodsi adhuc ex eo, quia vegetatio, coeli clementia & tempeſtiva pluvia non commemoratur, colligas, internum Gratiae convertentis auxilium Iſraelitis defuiſſe, vel ex abſoluto decreto iisdem negatum eſſe, male ratiocinaris. Cum enim ipſo Numine teſte, ex parte Dei nihil eorum amplius Eccleſiae Iſraeliticae & Iudaicae membris faciendum eſſet, quae ad Converſionem & ſtudium operam Iuſtitiae neceſſaria erant; ſequitur non modo media externa iisdem abundanter ſuppeditata eſſe, ſed illis etiam internam Gratiam plane ad Converſionem ſufficientem oblatam & applicatam eſſe. Ponas internam gratiam illis defuiſſe, nec vlla media gratia homines convertendi inſtructa applicata eſſe, ſic Iudaeos a culpa abſolves, & in Deum ejuſque gratiam non ſufficienter communicatam rejicies, immo cauſam Iudaeis, quos Deus popoſcerat iudices, dabis excipiendi: *Vicunque varia in nos contuleris beneficia, quia tamen nobis tantum gratiae haud contuliſti, immo ex mero beneplacito denegaſti, quantum ad id nobis opus eſt, vt convertamur, & fructus feramus tibi gratos, non nos in culpa ſumus, a quibus poſſulatur id, quod praestare non poſſumus, & ad quod gratia, qua opus nobis eſt, vt praestemus, non praebetur, ſed, qui id, quod non poſſumus, a nobis poſtulatur, nec tamen largitur, aut largiri vult, ut poſſimus k).* Ex his, quae modo diximus, abunde perſpicimus, illos infirmo talo niti, qui ex eo, quod Deus in Parabola vinitori comparatur, conficere ſtudent, tantum de mediis externis Gratiae agi. Pari ſane iure liceret concludere, quando Chriſtus Joh. XV. I. Patrem ſuum agricolae comparat, ſequi, a Patre nihil aliud, quam culturam externam requiſi, & cum Chriſtus ſe paſtori aſſimilat Joh. X. 12, liceret inferre, a Chriſto tantum illa praestari, quae paſtor ovium ad curam paſtumque ovium
exter-

k) Vid. ABR. CALOVII Bibl. Illuſtr. ad E. I.

externum conferre potest, quae quam aliena sint, quis intelligit 1):

Illud denique minime praetermittendum est, nos quidem facile largiri, in commatibus primo & secundo figurata dictio-
ne seu allegoria cumulum quendam beneficiorum externorum
a Deo in populum Israelis liberali manu collatorum recenseri,
quae quidem in Conversione producenda nullam habebant
efficientiam, sed tantum indirecte ad Conversionem ducebant;
sed tamen ex contestatione divina *Quid faciendum amplius vi-
neae meae, quod non fecerim in ea?* nobis nihil dubitationis re-
linquitur, quin eodem schemate operarum vinitoris in cultu-
ram vineae adhibitarum quoque ejus generis media contine-
antur, quae directe ad Conversionem ducunt, & efficientiam
in ea producenda & promovenda habent, ad quae omnino
verbum Dei & operationes Gratiae sub vsu verbi se exerentes
referendae sunt.

Meminit Propheta commate secundo *lacus torculari* sub-
jecti in vinea *excisi m*, in quo vinum ex uvis pressum exci-
piebatur. Figurantur per *torcular* & *lacum* (quod erudite ad
h. l. VITRINGA observat) loca publica exercitio religionis di-
cata, templum, Synagogae & aliae scholae, ubi Ecclesiae
membra congregantur, verbum Dei praedicatur, & in quibus
Doctores & Praefecti sacrorum exprimunt & publico commit-
tunt suas meditationes, easque deponunt apud auditores, qui
hoc vinum inlar lacus excipiunt & conservant.

Posito autem Verbo Dei ejusque praeconio, ponitur quo-
que gratia interna. Vis enim supernaturalis ad mutationes

super-

1) Vid. SEB. SCHMIDT Comment. in Iesaiam in h. l. p. 29. & GEORG.
MOEBII Dissert. de Gratia Irresistibili, quae Disputationibus ejusdem
selectis Theologicis infera est p. 529.

m) Voce *lacus* ipsum quoque *torcular* hoc loco comprehenditur. Vid.
VITRINGA l. c. in h. l. p. 115.



supernaturales in hominum animis producendas apta Spiritui sancto propria ex singulari Dei ordinatione verbo divinito realiter communicata eidemque semper indivulso nexu juncta est, immo ad naturam Verbi Dei in toto suo ambitu spectati vt pars constitutiva pertinet; nec vnquam a Verbo Dei separata est, siue Electis siue Reprobis proponatur. Hinc verbum dicitur *Spiritus & Vita Joh. VI. 63. 68, potentia Dei, 1 Cor. I. 18, potentia Dei ad salutem curvis credenti Rom. I. 16, verbum epiphorice insititium, quod potest salvare animas Jac. I. 21, & propterea rebus ratione naturae & indolis efficacibus veluti Jes. LV. 12, pluviae & 1 Pet. I. 23, semini comparatur, quia instar generosi seminis in agrum sparsi per se ad fructificandum in auditorum animis propendet, & vi convertendi intrinsece instructum est.*

Quapropter Verbum Dei semper est Organum Gratiae ad producendam conversionem sufficiens, & praedicatum, lectum, administratum in negotio Conversionis nunquam seorsim, sed in connexionione cum operatione Spiritus Sancti seu gratia interna considerandum est.

Ex hisce penitus intelligimus, quo loco habenda sit distinctio Gratiae in externam & internam, quae apud Reformatos percerebuit. Docent Reformati, teste FRANC. TVRRETINO, clarissimi nominis apud Reformatos Theologo, quocum confensit celeb. STAPPERVS, *hominem quidem gratiae externae & obiectivae, id est, verbo Dei & aliis mediis externis a Spiritu Sancto ad eius Conversionem adhibitis resistere posse, non vero internae & subiectivae Deo eam ad Conversionem adhibente ita reluctari posse, ut eventus, quem Deus intendit, non sequatur n).*

Verum hoc modo aut propria vineta caedunt, & fateri cogentur, illum, qui externae Gratiae resistit, simul internae viam praeccludere, aut partibus Fanaticorum accedent. Etenim Gratia interna a Gratia externa Verbi vel re ipsa distincta est, vel eadem

n) Vid. FRANC. TVRRETINI Theol. Eleuct. Loc. XV. Quaest. VI. p. 596, & cl. STAPPER I, c. Tom. V. Cap. XX, p. 221.

dem res diversis nominibus propter diversum considerandi modum indicatur. Si *Gratia interna* re ipsa differt ab *externa Gratia Verbi* insulsa Fanaticorum deliria statuminantur, qui contendunt Scripturam tantum habere virtutem objectivam, seu significandi, quae ad Conversionem & Sanctificationem pertinent, sed eandem vi supernaturali producendi & conferendi intrinsicus vires motusque spirituales in Intellectu & Voluntate destitutam esse, vim vero coelestem peculiari Spiritus Sancti operatione a Scriptura separata & seorsim se exerente nobis suppeditari o). Quo modo Paulo aperte contradicitur inculcanti, *fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Dei* Rom. X. 17, & negatur vim supernaturalem Verbo intime & indivulse communicatam esse, quod supra solide probatum est. Quodsi vero *Gratia interna* ab *externa* non re ipsa distincta est, sed pro diverso considerandi modo duplici nomine insignitur, utraque voce vna eademque significabitur Gratia, quae ex se & sua natura in *externam* & *internam* distingui nequit. Omnis proinde differentia *Gratiae internae* & *externae*, si secundum formam sanorum verborum haec distinctio consideretur, ab eventu & effectu repetenda est. Sic *Gratia interna* vocabitur, quae mentem jam occupando interior evasit, *externa*, quae objectis ex malitiosa subjecti resistentia impedimentis hunc effectum nondum assecuta est, quamvis remoto obice, quem voluntaria & malitiosa resistentia menti obdidit, *interna* futura sit, & ex innata vi salutarem effectum fortiri possit. Hinc autem sequitur, hominem, cum *externae Gratiae* verbi resistit, simul *internae* reluctari, quae interna fieri nequit, nisi prius externa extiterit. Nisi enim effectus *Gratiae internae* impediretur, cum *Gratia externa* Verbi repellitur, nullus inter *internam* & *externam Gratiam* nexus obtinebit, & altera ab altera more Enthusiastarum & Fanaticorum separata fingetur p).

D 2

PHI-

- o) Vid. ZELTNERI Breviarium Controversiarum cum Enthusiasticis & Fanaticis Controv. VIII. p. 151.
 p) Vid. QVENSTED: Systema Theolog. Tom. III. p. 494. IOH. MVSÆI Disput. V. de Conversione §. 41sq. Ej. Disput. de libero arbitrio §. 35sq. & CANTZII Consensus Philos. Wolfianae cum Theolog. L. 1. Psychol. p. 393 sq.



PHILIP. NAVDEVS ad contestationem divinam *Quid faciendum amplius vineas meae &c.* excipit, Deum quidem omnia Israelitis contulisse excepta novi cordis creatione & efficaci Regenerationis dono: *si vous, inquit, en exceptes la regeneration efficace, la creation & le don d'un nouveau coeur. q)*

Haec exceptio bifariam accipi potest. a) Quod Deus Israelitis adeoque Judaeis in prima infantia seu octavo post natiuitatem die circumcisis non contulerit Regenerationem: b) De Regeneratione adultorum seu Conversione intelligi possunt, quod scilicet Deus in Israelitis & Judaeis adultis refractariis & malitiose resistentibus, qui sua culpa statu Regenerationis, cujus in infantia participes facti erant, exciderant, opus Conversionis non absoluerit. Si priori modo NAVDEI assertio accipiatur, diferte falsa est. Quia omnes Israelitae & Judaei in infantia circumcisi regenerati sunt. Fuit enim Sacramentum Circumcisionis tempore Oeconomiae Veteris efficax Regenerationis organum r), quod effectum suum in omnibus non malitiose reluctantibus sortitum est, qualis reluctantia in infantilem aetatem non cadit. Si posteriori modo accipiatur, quaestionis status mutatur. Non enim quaeritur, an Deus in Israelitis & Judaeis malitiose resistentibus opus Conversionis absoluerit, sed an actiones divinae ad efficiendam Conversionem directae sufficientes fuerint, seu an talis Gratia illis suppeditata fuerit, qua converti potuerunt, nisi malitiosa resistentia reluctati essent, quod jam satis a nobis probatum est. Praeterea animadvertendum est, Conversionem peccatoris quidem Ps. LI. 12. vocari creationem, quia aeque ac creatio propriae & strictae dicta supernaturalem Dei virtutem requirit; sed tamen esse creationem improprie dictam. Nam ad creationem propriae & strictae dictam Deus concurret per *potentiam absolutam*, non concurrente aliqua causa secunda, quae impediri nequit: sed ad Conversionem concurret Deus per *potentiam ordinatam* h. e. certo ordini

2) Vid. NAVDEI Liber, qui inscribitur *La Souveraine Perfection de Dieu dans ses divins attributs* Tom. II. p. 234.
 3) Conf. SER. SCHMIDII Tractatus de Circumcisione p. 412 sqq.

ordini a Deo instituto & ab homine observando adstrictam, ac ad conditionem hominum moralem respectum habentem, a quo homo libertatis abusu desectere, atque ita Conversionis opus impedire potest. NICOL. GVRTLERVS s) & C. VITRINGA t) excipiunt, Deum in sua contestatione ad id respicere, quod Populus olim in deserto promiserat, se Deo in omnibus, quae praeceperat, obediturum Exod. XXIV. 3. 7; quamvis auxilium Dei ad illa custodienda necessarium ab ipso non petiissent, & id agere, vt Judaeos de necessitate internae gratiae convincat. Quamobrem Gurtlerus hunc contestationis divinae *Quid faciendum amplius vineae meae &c. sensum esse opinatur: Ego vobis, Israelitae, omnia praestiti bona, quae cum majoribus vestris sufficere putatis ad proferendum fructus respicientiae & fidei: igitur tales fructus secundum vestrum quogue iudicium edere debuissetis: at secus evenit, neque ex agro cordium vestrorum quicquam aliud nisi lolium procrevit. Cui assentitur VITRINGA & eadem ratione ductus negat: Gratiae convertentis internae, quam Deus vi foederis Sinaitici strictae sumti non debuerit, ab ipsis ignoratae & non expetitae ullam mentionem fieri.*

Verum enim vero haec exceptio in gratiam adamati systematis a Viris ceteroquin doctissimis anxie conquisita multis modis infirma est. Primo enim nititur hypothese jam refutata, Verbum Dei non esse Organum Gratiae ad producendam Conversionem sufficiens, nec verbi ministerio individuo nexu gratiosam potentiam seu operationem Spiritus Sancti conjunctam esse. Derinde temere sumitur, quod maxime confirmatione indiget, respici hic ad Israelitas Deo in deserto obedientiam suis viribus praestandam promittentes. Quapropter & illud effugium, quod ex hac opinione incertissima quaeritur, Deum scilicet sua contestatione id spectare, vt Judaeos de necessitate internae gratiae ab ipsis ignoratae nec expetitae convincat, nihil momenti habet, immo praeterea a scopo plane abluat. Id enim sua contestatione Deus *U 3* agit, *U 3* vid. GVRTLERI Institutiones Theolog. Cap. XV. p. 275. *U 3* Commentar. in Jes. ad h. l. Tom. I. p. 117.



agit, vt Ecclesiam Judaicam omnem, nec tantum inficetum & imperitum vulgus, sed omnes quoque, quibus ex Verbo Dei a Prophetis & fidei Doctoribus ipsis annunciato de necessitate internae gratiae ad Conversionem constabat, eo perduceret, vt conscientiae testimonio convicti fateri cogerentur, nihil a Deo intermissum esse, quod ad Conversionem eorum efficiendam ex parte sua requirebatur, & vt omnis excipiendi rima, quasi gratia sua aliqua ratione defecerit, obstrueretur. Praeter rem Vitringa interferit, Deum populo Israelis *vi foederis Sinaitici stricti sumti non debuisse gratiam convertentem internam*. Inspiciatur modo textus, & statim apparebit, Deum in sua contestatione non abundantiam stricti juris, sed potius abundantiam gratiae in Israelitas & Iudaeos collatae praedicare, nec indicare, quid ipsis debuerit, vel non debuerit, verum quam large ipsis omnia praebuerit, quae ad efficiendam eorum Conversionem & hinc oriundum studium bonorum operum idonea erant.

Sub finem commentationis nostrae haec quoque assertio VITRINGAE expendenda est, qua l. c. evincere tentat, propterea internae Gratiae mentionem hic non injici, quia illa sit donum divinae bonitatis plane extraordinarium & singulare, quod Deus ita dat peccatori, ut si non det, aut veget, querelas & criminationis iustam materiam ei non relinquat. Hic primo observandum est, doctissimum virum Gratiam ad efficiendam Conversionem sufficientem, quam ex adoptato a se systemate Gratiae internae nomine intelligit, minus recte vocare *donum divinae bonitatis plane extraordinarium & singulare*. Nec enim perspicio, quomodo ex ipsa etiam hypothese Reformatorum, haec gratia donum extraordinarium vocari possit, quia secundum eorum placita Electis suppeditatur, vt medium salutis ordinarium, Reprobis vero nec ordinarie nec extraordinarie confertur. Deinde Gratia ad efficiendam Conversionem sufficiens secundum tenorem Scripturae sacrae ex hac ratione potius *communis* appellanda est, quia media Electis & Reprobis oblata & in negotio Conversionis applicata in se aequae efficaciae sunt: Idem ejusdemque naturae & intrinsecae efficaciae semen

semen est, quod in petram cadit, & quod terrae frugiferae committitur, diversitas eventus est a subiecto recipiente, quia a quadruplici terra, non vero a quadruplici semine dependet, quod Christus clarissime docet Matth. XIII. 3 sqq. Luc. XVIII. 5sqq. Eadem specie esculenta & potulenta in nuptiis regis apponuntur, diversa tantum conditio convivarum e spontanea & per libertatis abusum contracta malitia orta diversum efficit eventum Matth. XXII. 4sqq. Gratiae divinae ac si satis singularis non esset imputari non debet, cum, quod Deus intendit, non consequitur. Ceterum in clara luce exceptionis hujus vanitas versatur. Posito enim foedere gratiae, quod Doctores & Prophetae Israelitis pro ratione Oeconomiae V. T. fideliter inculcabant, Deus se liberime obstrinxerat, quod eos serio vellet convertere, gratiamque ad Conversionem necessariam iisdem dispensare. Nam in foedere gratiae Deus omnibus hominibus post lapsum aeternae damnationis reis, intuitu meriti Christi universalis veniam peccatorum & vitam aeternam ita promittit, ut simul resipiscentia & fides promittantur, modo homines Deo per apta & sufficientia media haec conferre volenti, malitiosa resistentia non obnitantur u). Gratiam sane mortalibus offerre, viresque, quibus e statu miseriae eluctari possunt, iisdem negare, est simulare gratiam, & miseris illudere: expectare proventus & opera Converteris digna, quae in hac Parabola uvis indicantur, nec tamen intendere peccatoribus gratiam ad haec sufficientem subministrare, infinitae Benignitati, Sapientiae & Justitiae divinae contrarium est, & justam peccatoribus querelae materiam relinquit. Plane huc non pertinet locus Deut. XXIX. 4, quem VITRINGA adducit, ubi Moyses ad Israelitas: *Et non, inquit, dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quae possint audire, usque in praesentem diem.* His enim verbis malitiosa resistentia refractoriorum Israelitarum taxatur & indicatur, quod eorum culpa acciderit, ut Gratiae convertentis salutari effectu destituti sint.

Suffi-

u) Vid. pluribus BYDDEI Tom. II, Institut. Theol. Dogmat. Lib. IV. cap. I. pag. 918.



Sufficiant tandem, quae de nobilissimo oraculo ejusque in Theologia usu huc usque disseruimus. Ad TE nunc menduuo converto, cui sacram hanc qualemcunque opellam cupio, MAXIME REVERENDE DOMINE SENIOR, qui ministrorum eximium decus es, quorum opera in curanda vinea sua Lubecensi coelestis vinitor vtitur. Gratulor ordini Sacro, gratulor inclytae Lubecae Seniore in ipso aetatis flore dignissimum, Deumque supplex veneror, vt TIBI ad labores TVOS gravissimos in sui Nominis gloriam & Ecclesiae commodum exantlandos largissimas semper vires impertiat, eosdemque eventu felici & salutari beet. Communi omnium bonorum nomine TIBI prosperam firmamque corporis valetudinem animaeque securitatem, nulla calamitate infringendam voveo. Largiantur TIBI Benignissimum Numen aetatem optataeque superamento, liberisque suavissimis omni prosperitatis genere cumulet. Ita vale mihique Tui studiosissimo
fave.

Pag. IV. lin. 27. *Σηλατος*. leg. *Σηλατος*.

Pag. X. lin. 28. *sparsis*. leg. *sparsit*.

Pag. XII. Nota x) omiffa hoc modo inferenda est: *Conf. REVSCHEII Introduct. in Theol. Revelat. §. CCVIII. p. 355. & BILEINGERI Dilucidat. §. CCCCXXI. p. 478.*

Pag. XV. lin. 3: *voluntariae*. leg. *voluntaris*.

Pag. XVI. lin. ult. *F. I.* leg. *F. C.*



Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




PH 306

VD 77

NC







DISSERTATIO EPISTOLICA

QVA

CONTESTATIO DEI JES. V. 4.

DE VINEA SVA LIBERALITER QUIDEM
CVLTA SED TAMEN VALDE STERILI
ILLVSTRATVR

ET

AD VSVM THEOLOGICVM IN PROBANDA THESI
DOGMATICA DE GRATIA CONVERTENTE
RESISTIBILI TRANSFERTVR

AD

VIRVM ADMODVM REVERENDVM
AMPLISSIMVM ET PRAECLARISSIMVM
DOMINVM

GEORGIVM HERMANNVM
RICHERTZ,

PASTOREM IACOBAEVM OPTIME MERITVM

CVM

D. XXII. FEBR. A. MDCCLIX.

REVERENDI MINISTERII LVBECENSIS
SENIOR

DESIGNATVS ESSET,
GRATVLANDI CAVSSA EXARATA

IOACH. HENR. OSTERMEIER

V. D. M. ECCLESIAE TRAVEMVNDANAE.

LVBECAE.

TYPIS IO. NICOL. GREENII, MAGN. SENAT. TYPOGR.